



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. XXII. An Deus sit in aliquo genere cum rebus creatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

Conchatio est: Deus neque directe est in predicamento, neque ad predicamentum potest reduci. Doctrina huius articuli, tametsi à logicis disputari solet, non debet videri Theologo aliena: ex ea enim non mediocriter diuinarum perfectionum cognitio pendet. Omisissis vero permixtis, quæ de analogia in hoc articulo tradi solent, breuiter id, quod ad Theologum spectat, aliquibus etiam ex Logica petitis expediemus.

DISPUTATIO XXII.

An Deus sit in aliquo genere cum rebus creatis.

Status controversiæ. cap. 1.

Deum in predicamento collocari Nominales asserunt. c. 2.

Verior sententia ex aliorum rationibus probatur. cap. 3.

Prior ratio efficax præcedentis sententiæ. cap. 4.

Posterior ratio cap. 5.

Ratio præcedens Patrum doctrina confirmatur. cap. 6.

Respondet argumentis prioris sententiæ. cap. 7.

CAPVT I.

Status controversiæ.

Cum manifestum sit, vnum solum Deum esse, vt quæst. 11. ex professo probandum est, controuersia præsens non erit, an Deus in aliquo genere sibi, & aliis Diis communi collocetur: vbi enim pluralitas esse, aut excogitari nequit, non potest intellectus rationem aliquam genericam inuenire, vel prædicamenti seriem ordinari, vt perspicue patet.

Est igitur quæstio de genere, aut prædicamento Deo, & creaturis communi, an videlicet Deus sub aliquo huiusmodi possit collocari. Erit autem difficilius, Deum extra omne genus constituere, si supponamus id, quod ego puto verissimum, & inferius disp. 118. cap. 4. compertum erit, nimirum seriem omnem alicuius prædicamenti non esse rerum, neque rationum formalium distinctarum ex natura rei, sed conceptuum ordinationem, ex eo quod in rebus, quas videmus, maiori aut minori inspecta conuenientia per effectus, & alia signa, concipimus rationem aliquam ipsis communem, aliam vero magis communem, vsque ad supremum gradum generis, & conuenientia, quæ sane conuenientia, ex ipsa natura rerum per intellectum desumitur, non quia in rebus sit aliquid re ipsa commune, vel distinctum ex natura rei à singularibus. Hoc vero supposito, facilius videtur Deum sub aliquo genere continere. Quid enim obesse potest, quo minus ratio nostra Deum concipiat cum rebus creatis ex parte conuenire, & aliqua ratione differre? Quod si in aliquo prædicamento debet constitui, non reductiue, vt aiunt, sed directe collocandus est: ea enim solum reducuntur ad prædicamentum, quæ non sunt entia, aut formæ per se subsistentes, sed partes, aut quasi principia, & appendices, qualia sunt punctum, anima, & materia: est igitur præsens difficultas. An Deus directe sub aliquo genere, sicut species constituitur.

CAPVT II.

Deum in predicamento collocari Nominales asserunt.

Non defuerunt ex Scholasticis, qui assererent, Deum directe in prædicamento collocari: Auctores huius sententiæ sunt Robertus Holcot.

CAP. I. II. & III.

in 1. q. 6. Gregor. d. 8. q. 3. præsertim in art. 2. Matheus in 1. q. 12. art. 2. eamque probabiliorē censet Gabriel in 1. d. 8. q. 1. quamuis oppositam sententiam ipse amplectatur, quod patet in Schola Oxoniensi communem fuisse. Eodem modo docent prædicti Doctores, nomina aliqua de Deo, & creaturis vniuoce prædicari: id quod etiam putat Scotus eadem d. 8. & in 1. d. 3. quæst. 7. §. *Quantum ad secundum*: quem nihilominus pro sequenti sententia citabimus. Vt autem ostendant, hoc non repugnare diuinæ simplicitati, supponunt id, quod superius dicebamus, genus, & differentiam non ex natura rei, sed sola nostra consideratione distingui, ac proinde Deo non repugnare in prædicamento esse, atque ex genere, & differentia componi: nulla enim alia videtur esse repugnantia, quo minus Deus in prædicamento collocetur.

Deinde probant auctoritate Augustini, qui lib. 5. de Trinitate cap. 8. 10. & 11. docere videtur, quædam prædicamenta de Deo dici translatiue, & improprie, vt quales, quantum, situs, habitus, & tempus; quædam vero proprie, vt substantia, & relatio: quo fundamento bona pars doctrinæ totius libri nixa videtur. Et eodem cap. 8. postquam dixit, multa prædicamenta de Deo translatione prædicari, subdit hæc verba: *Quod autem ad faciendum attinet, fortassis de solo Deo verissime dicitur. Solus enim Deus facit, & ipse non fit, neque patitur*: quibus docere videtur prædicamentum actionis Deo proprie conuenire.

Accedit etiam Damascenus, qui lib. 1. de fide c. 9. ita Deo tribuit nomina filiationis, & paternitatis, vt non à creatis translata fuerint ad Deum, sed potius contra, ex Deo nobis fuerint communicata. Probat autem ex illo ad Ephes. 3. *Ex quo omnis paternitas in celo, & in terra nominatur*: expressius id docet lib. primarum institutionum c. 7. vbi postquam dixit essentiam, quam alij dicunt substantiam, genus esse supremum, subiungit: *Huius autem summi, primique generis species sunt, primum id, quod corpore vacat, & corpus inanimatum: & paucis interiectis: Complectitur enim essentia corpore vacans Deum, Angelum, animam, demonem.*

CAPVT III.

Verior sententia ex aliorum rationibus probatur.

Opposita sententia multo probabilior est, quam plures, & maioris auctoritatis Theologi sequuntur, videlicet Deum non posse in prædicamento collocari. Ita docuerunt S. Thomas, Caietanus, & recentiores in hoc articulo. Henricus in Summa art. 26. q. 2. Refertur etiam Magister in 1. disp. 8. qui docet neque prædicamenta accidentium, neque substantiam ipsam proprie Deo conuenire, quibus videtur Deum excludere à prædicamento substantiæ. Sed clarissime prædictam sententiam amplectuntur. Albertus in eadem d. art. 32. Bonauent. 1. q. 4. Ricardus art. 4. q. 2. Argent. q. 1. art. Egidius art. 1. 3. Scot. q. 3. *Teneo opinionem meam*. Bassolis. q. 4. Capreol. q. 2. art. 1. concl. 5. & 6. Durand. in 2. d. 3. quæst. 1. num. 12. idem Sanctus Thomas, & Ferrariensis 1. contra gent. 25. Denique Ocam in illa distinct. 8. quæst. 1. quamuis putet eam difficile probari.

Variant tamen in confirmatione huius sententiæ. Prima ratio S. Thomæ in hoc articulo est huiusmodi: Species, quæ est in aliquo prædicamento, ita constat genere, & differentia, vt id, à quo sumitur

Prædicamentorum series, conceptuum est ordinatio.

Dubitandi ratio.

Holcot.
Gregor.
Marfil.
Galr.

Scotus.

Fundamentum huius sententiæ.

August.

Auctoritatem probabitur.

3

Ad Eph. 3.

S. Thomæ.
Caiet.
Recentiores.
Henricus.
Magister.

Albert.
Bonauent.
Ricardus.
Argent.
Egidius.
Scotus.
Bassolis.
Capreol.
Durand.
Ferrari.
Ocam.

Prima ratio.
S. Thom.

finitur differentia, cum eo, à quo sumitur, genus; comparatur sicut actus cum potentia: in Deo autem non est aliquid, ut potentia, & aliquid, ut actus: ergo ex genere, & differentia constitui non potest. Eadem ratione videntur Henricus, Ricardus, & Agidius: eam tamen infirmam esse paucis ostendam. Si enim repugnaret in Deo esse aliquid per modum potentiae, ex quo sumeretur genus; & aliquid per modum actus, ex quo sumeretur differentia, eo esset, quia sequeretur, Deum non esse simplicem, sed re ipsa compositum ex actu, & potentia: atqui hoc nulla ratione sequitur, si dicamus, ut 1. cap. notatum est, compositionem generis, & differentiae esse solum per rationem nostram. Sic autem nullum est absurdum plura in Deo concedere tanquam componentia, quorum alterum per modum potentiae, alterum per modum actus intelligatur: noster enim intellectus in re simplicissima, qualis est Deus, haec facile concipere potest, sicut etiam distinguere eius attributa, quae ex natura rei non distinguuntur: id enim provenit ex imperfectione intellectus cognoscentis Deum instar aliarum rerum, ut infra disp. 118. ostendemus.

Ex hac doctrina Gregorius q. citata artic. 1. & 2. dissolvit fere omnes rationes, quae afferri solent pro hac sententia, ut inductione constabit. Hinc enim solvitur secunda ratio, quae talis est: Genus est pars eius, quod est sub genere: sed Deus non habet partes: ergo Deus non est sub genere: quare ratione vsi sunt Agidius, & Henricus locis citatis, & Avicenna 8. metaphys. cap. 8. ea tamen nihil probatur: quoniam non videtur esse contra Dei simplicitatem constare aliquibus tanquam partibus per intellectum. Sicut etiam non repugnat compositum esse, aut constitutum per rationem, ut infra disp. 121. c. 3. & disp. 159. c. 2. explicabitur. Solum enim repugnat Deo compositio ex natura rei, sicut etiam pluralitas, & distinctio, praeterquam distinctio personarum.

Tertia ratio est: Res praedicamenti debet esse aliquid distinctum à suo esse, scilicet intentione, & definitione quamvis re ipsa non distinguatur. Intelligit vero Henricus, cuius est haec ratio, solum distinctionem rationis, ut ex doctrina ipsius parebit infra disp. 121. cap. 1. Cum ergo Deus non distinguatur à suo esse, sed in definitione ipsius Dei illud includatur etiam secundum rationem nostram, fit, ut in praedicamento Deus non collocetur.

Hac eadem fere ratione vsus est S. Thomas in hoc art. & Capreolus in 1. d. 8. quaest. 2. art. 1. con. 2. assumit enim necessarium esse, ut aliquid ponatur in praedicamento, essentiam illius ab existentia differre non solum per rationem, ut dicebat Henricus, sed etiam ex natura rei. Haec tamen ratio ex eodem principio superius posito facile solvitur. Tum quia probari non potest id, quod supponit Henricus in maiori propositione. Tum etiam quia in Deo distinguere possumus essentiam ab existentia conceptu nostro instar creaturarum. Praeterea 3. p. q. 17. art. 2. ostendimus, esse, & essentiam in rebus creatis non distinguui ex natura rei. Cumque compositio ex genere, & differentia sit solum per intellectum, non videtur talis distinctio ex natura rei necessaria.

Quarta ratio Scoti est in hunc modum. Quamvis Deo, & creaturis dari possit conceptus communis, in 1. partem Tomus 1.

munis, & univocus: sic enim putat ens de Deo, & creaturis praedicari; tamen in Deo non est aliqua realitas, quae ex se sit indifferens ad finitum, & infinitum, ex qua desumatur genus: ergo Deus non potest sub genere collocari. Verum ex eodem principio constat, necessarium non esse aliquid distinctum ex natura rei, ex quo genus desumatur, & aliquid, ex quo differentia, ut ex doctrina S. Thomae disp. 180. c. 3. monstrabimus. Quare hoc nihil obstare potest quo minus id, quod simplicissimum est, genere, & differentia constare possit.

Quinta ratio, quam affert S. Thom. cap. illo 15. talis est. Si Deus esset in praedicamento, deberet esse in praedicamento substantiae: in eo autem esse non potest, quia abusive substantia dicitur, auctore Augusti lib. 7. de Trinitate cap. 5. ergo Deus in praedicamento non est. Responderi tamen potest, quamvis substantia, si id, à quo nomen primo impositum est, spectemus, de Deo proprie non dicatur, sed abusive; dicta enim fuit à substansando accidentibus, si tamen rem ipsam significatam attendamus, propriissime in Deo reperitur, ut eodem cap. indicat Augusti. significat enim naturam, seu essentiam, quae alio non indiget, cui inhaereat, sed per se est. Quare docet essentiam Deo proprie convenire. Etiam cum de Deo hypostasis proprie dicatur iuxta phrasim Graecorum Patrum, & Conciliorum, non est, cur negemus etiam substantiam de Deo proprie praedicari. Nam & hypostasis Graece, sicut substantia latine, à substansando dicitur. Quod vero contra objicit S. Thomas cap. illo 25. videlicet illud, *per se*, in substantia nihil esse, & solum negationem existendi in alio significare, ac proinde si in Deo substantia non est, quatenus accidentibus substat, ei substantiam proprie non convenire, mihi non probatur. Nam, ut ostendam 3. p. quaest. 4. art. 2. contra Scotum, modus ille per se in substantia non est sola negatio, sed positum, quod negatione explicatur, sicut etiam in supposito, & persona.

Sexta ratio, quicquid est in praedicamento clauditur ipso, & continetur id, autem, quod est infinitum, sicut Deus, claudi, aut contineri nequit ab alio: ergo neque esse in praedicamento. Hoc argumento vsi sunt Bonaventura, Thomas de Argentina, & Durandus, & paucis insinuant Agidius, & Albertus: eo tamen parum probatur. Nam contineri sub aliquo genere praedicamenti, contingit solum nostro modo intelligendi: sicut autem intelligimus naturas rerum determinatas, & finitas essentialiter, sic etiam possemus commune aliquid, & indifferens enti finito, & infinito considerare, nisi id aliunde repugnaret. Contineri enim & concludi sub generalissimo praedicamenti non est re ipsa finitum esse, & limitatum secundum essentiam. Nam conceptus communis ab utroque abstrahitur, ac proinde sub se complecti potest finitum, & infinitum secundum essentiam. Mitto rationes alias, quas infirmas esse ex praecedenti doctrina facile demonstrarem, & duabus tantum efficacioribus praedictam sententiam confirmabo.

CAPVT IV.

Prior ratio efficacis praecedentis sententiae.

Deo mihi suppetunt rationes, quae sententiam superiori cap. positum efficaciter probant: quarum priorem, quod minus Theologica

Impugnatur.

Quinta ratio 15. s. Thomae.

Augustinus.

Solutio.

S. Thomas.

Sexta ratio eius impugnatur.

8

videtur

Secunda ratio 15.

Gregorius.

Secunda ratio 15.

Henricus.

S. Thom. Capreolus.

Quarta ratio 15.

videatur in hoc cap. perstringam: posteriorem vero, quæ multam Patrum doctrinam continet, sequenti subijciam. Prior est huiusmodi. Omne quod est sub aliquo genere, vel est in diuiduum, vel species aut sub alterna, aut athoma: sed Deus neutro modo potest esse in prædicamento: ergo nullo modo in eo collocatur. Primum non est species, quia neque continet sub se alias species tanquam sub alterna, neque indiuidua tanquam species in finem, ut manifestum est, neque enim sunt plures dii, solo adhuc numero differentes. Deinde Deus in prædicamento non potest esse indiuiduum: omne namque indiuiduum in ratione speciei cum alijs essentialiter conuenit. Deus autem cum nulla re mundi hoc modo conuenire potest: alioqui diceretur eiusdem speciei cum aliqua creatura, & solo numero ab ea differre: quod est absurdum: quia magis distat a quavis creatura, quam vna creatura ab alia diuersæ speciei: Deus igitur nullo modo cum aliqua creatura sub genere continetur.

CAPVT V.

Posterior ratio.

Posterior ratio est. Aut Deus cum alijs omnibus rebus creatis est sub vno prædicamento entis, aut sub aliquo ex decem assignatis ab Aristotele: sed sub nullo esse potest: ergo non est sub aliquo prædicamento. Primum non potest esse sub ente: tum quia substantia solum est ens simpliciter, cetera vero secundum quid, hoc est, entis entia: id vero quod vniuoce de aliquibus prædicatur, eisdem simpliciter conuenit: tum etiam quia quoties aliquis conceptus abstractus vniuoce pluribus conuenit, debet esse vnus præter multa, hoc est, ita ab illis abstractus, ut in ipsis aliquid remaneat, quo differant, diuersum ab eo, quod vniuoce ab eis abstractum est: alioquin nihil ipsis commune intelligi posset, ut in 14. c. 2. ostendimus. Ens autem non potest hoc modo abstrahi: nam in eo, quod remanet in inferioribus, ipsa ratio entis intrinsece includitur, quæ de causa vulgo dicitur, ens includi in modis intrinsecis, ac proinde non esse genus, neque vniuoce respectu omnium entium singularium, quam rationem tetigit Ricar. Quare non video quomodo cohereant ea, quæ docet Scotus loco citato, nimirum aliquid esse vniuoce commune Deo, & creaturis, Deum autem sub prædicamento non collocari, id quod latius contra ipsum persequi, non est necesse. Ex dictis quoque colligere licet, commentitiam esse quorundam recentiorum sententiam, qui res omnes in vnum prædicamentum entis reuocare conantur.

Deinde dici non potest, Deum esse sub aliquo ex decem prædicamentis ab Aristotele assignatis, ut percurrendo aliqua illorum facile constabit. Nam si sub aliquo illorum collocaretur, esset substantia, aut relationis, ut videtur docuisse Augustinus locis pro priori sententia citatis, ex alijs enim prædicamentis quamuis aliquid de Deo proprie dicatur, ut agere, sicut indicat Augustinus. Ille tamen non est aliquid in ipso Deo intrinsece ei conueniens, nunc autem controuersia est an ipse Deus secundum aliquid sui in prædicamento aliquo ponatur: non tamen an de ipso aliquid prædicamentum extrinsece saltem denominatione proprie enuncietur, sicut forsan enunciaretur

prædicamentum actionis. Quare licet concederemus actionem creationis, vel aliam, quæ Deus exterius aliquid producit, esse in prædicamento actionis, id quod adhuc certum non est, tamen non propterea ipse Deus in eo prædicamento esset. Superest ergo, ut in prædicamento substantiæ, aut relationis debeat esse, si in aliquo collocandus est. In his autem non posse constitui, facile quoque probabitur.

Primum quidem de prædicamento relationis, præter rationem communem, quæ idem probat de prædicamento substantiæ, quam inferius afferemus, hac peculiari monstrari potest. Quamuis series cuiusque prædicamenti per intellectum solum nostrum disponatur, imo vero ipsa prædicamenta nonnunquam sola ratione nostra distinguantur, ut actio, & passio, id quod manifestum erit infra disput. 18. c. 3. prædicamenta tamen accidentium hoc necessario postulant, ut in nullo prædicamento accidentis collocentur nisi vera, & realia accidentia, sicut enim prædicamentum substantiæ est vera, & realis substantia, sic etiam reliqua nouem sunt formæ vere accidentariæ; Quo supposito humana ratio singula prædicamenta accidentis ordinare, atque vnum ab alio distinguere potest, relatio autem quæ est in Deo, non est forma accidentaria, sed vera substantia, ergo non potest in prædicamento relationis, quod est vnum ex nouem, collocari. Quæ etiam ratione disput. 17. c. 2. notabimus, relationem, quæ ex natura rei idem est cum substantia, in prædicamento relationis non esse constituendam. Quæ vero de causa Boethius lib. 1. de Trinitate dicat prædicamentum qualitatis, & quantitatis substantiam in Deo significare, sex autem vltima prædicamenta per modum extrinsecæ formæ de Deo dici, demum prædicamentum relationis de Deo non prædicari, explicabitur disput. 14. c. 1.

Præterea Deum non esse in prædicamento substantiæ, sic ostenditur, nulla ratio apprehendi potest a nostro intellectu vniuoce communis Deo, & creaturis, non solum sapientiæ, potentie, & aliorum attributorum, quæ in creaturis sunt accidentia, in Deo autem substantia, sed neque ipsius substantiæ, hæc enim talis naturæ in Deo est, ut potius super substantia dici debeat, quam substantia, eo quod nec nomen substantiæ, nec conceptus, quem de ipsa habemus, attingat eam, quæ in Deo est, id quod ceteris nominibus, quæ de Deo dicuntur conuenire, communis Patrum opinio fert ut sequenti c. videbimus.

CAPVT VI.

Ratio præcedens Patrum doctrina confirmatur.

Boethius lib. de Trinitate circa medium de Dei substantia loquens ita scribit, Nam substantia in illo, scilicet Deo, non est vere substantia, sed ultra substantiam, & paucis interiectis: Nam cum dicimus, Deus, substantiam quidem significare videmur, sed eam quæ sit ultra substantiam. Quem locum elucidans Gilbertus in commentario illius libri inquit. Nam quæ vocatur eius substantia, in illo quidem est, de quo prædicatur, sed non in eo vere est substantia, id est, non ea veritate rationis, quæ dicitur substantia quodlibet illud esse, quo subsistens est aliquid, est substantia quod in eo est, sed aliqua rationis proportionem vocatur substantia. Quibus verbis Gilbertus sententiam Boethij expresse, nempe substantiam in Deo non esse eiusdem

Ens non potest esse genus vniuoce ad omnia entia.

Richard.

Scotus.

10

Cur Deus non sit in prædicamento relationis

Boethius.

Cur non colatur Deus sub prædicamento substantiæ.

12.

Boethius.

Gilbert.

dem rationis cum nostra, sed proportionem quam substantiam vocari.

Ceterum id, quod paulo inferius hic auctor subiungit, mihi non probatur: nempe Deum alia ratione nominari essentiam, quam substantiam, ut hac ratione aliqua sit convenientia inter Deum & creaturam; cum reuera utriusque nominis eadem sit ratio, si cum Deo, & creaturis comparetur. Neque enim Boethius ideo negat substantiam de Deo, quod primaria sua significatione eam significet, quæ accidentibus substat, sed quia Dei substantia, & natura caput nostræ cognitionis excedat, ac propterea neque nomine substantia, aut essentia, aut quolibet alio a nobis imposito exprimi valeat, nisi proportionem quadam.

Hanc autem fuisse mentem Dionysij 7. de divinis nominibus, mihi habeo persuasum. Ibi enim describens modum quo Deum cognoscimus in hac vita, inquit; Dei nos habere notitiam, non ex ipsius natura, quod nobis incognita sit (intelligit in se ipsa) sed ex rebus ab eo creatis, in quibus sunt imagines, & similitudines divinarum perfectionum: Atque hunc modum magis explicans subdit: At id, quod omnia superat, via, & ordine pro virili parte omnium detractio, & præstantia omniumque causa ascendimus. Itaque in omnibus Deus noscitur, & sine omnibus: scientiaque Deus noscitur, & ignoratio. Quæ verba explanans Sanctus Thomas lectione 4. in illud caput, tres modos distinguit, quibus Deum cognoscimus: quos verbis citatis Dionysius expressisse videtur.

Primus, & præcipuus modus est per negationem eorum, quæ videmus: idcirco negamus de Deo substantiam, sapientiam, ceteraque omnia: negamus, inquam, eo modo, quo in creaturis ea videmus, & pro hoc statu concipimus: sic enim in Deo nequaquam reperiuntur. Quare idem Dionysius de mystica Theologia cap. 5. de Deo ita loquitur: Propter hoc nec animam esse, nec mentem, nec visionem, aut opinionem, vel rationem, vel mentis notionem habere, nec rationem esse, nec mentis perceptionem. Atque inter alia multa, quæ de ipso negat, numerat vitam, essentiam, & æternitatem, non alia de causa, nisi quia nihil tale, quale nos concipimus, & videmus, in Deo est.

Hunc modum cognoscendi Deum tradidit idem Dionysius c. illo 7. de divinis nominibus illis verbis: Omnium detractio, & iterum cum ait, Sine omnibus: imo ipsa ignoratio Deum cognosci: ac si diceret, nos de Deo potius cognoscere, quid non sit, quam quid sit. Id quod Damascenus lib. 1. de fide c. 4. præclare dixit his verbis: In Deo autem impossibile est, quidam essentia sua, ac natura ipse sit, dicere, aptusque est, ex omnium rerum sublatione, atque inspicuatione orationem habere: neque enim eorum, quæ sunt, quicquam est. Quod quidem non ita accipiendum est, quasi non sit, sed quia supra omnia, quæ sunt, ipse sit; atque adeo supra ipsum esse: & paucis interiectis, concedit ipsum esse supra essentiam: postremo tandem subiungit: Sunt porro nonnulla, quæ tametsi per affirmationem de Deo dicuntur, præcellens tamen negationis vim habent: Verbi gratia, cum de Deo verba facientes tenebrarum vocem usurpamus, non caliginem nobis animo proponimus, sed quod lux non sit, verum lumine sublimior. Hic igitur modus Deum cognoscendi negat omnia, quæ de Deo diximus, non propter Dei imperfectionem, sed quia ipse omnia illa superiori quadam ratione antecellat.

Vasquez in 1. part. Tomus I.

Secundus modus cognoscendi Deum, quem Dionysius, & Damascenus verbis citatis indicant, est per excessum, vel præstantiam, addendo scilicet supra omnia, quæ videmus, cum aliquid Deo tribuimus: veluti si quis eum intelligat sapientem esse, addere debet supra sapientem, & sic de alijs. Quæ ratione Dionysius cap. 1. & 2. de divinis nominibus, & alibi sæpenumero, Dei substantiam, supersubstantialem, & omni essentia superiorem appellat. Eodem modo Boethius lib. illo de Trinitate dixit, Deum non esse substantiam, sed supersubstantiam. Utriusque modi cognoscendi per affirmationem, & negationem meminit Dionysius eodem lib. de myst. Theologia cap. 5. & cap. 1. de divinis nominibus. post medium cum indicasse videtur, cum dixit Deum omnia esse, quæ sunt, & nihil esse eorum, quæ sunt. Quæ verba recitans Elias in orationem 24. Nazianzenus, quæ est in aduentum Ægyptiorum, inquit: Deus vi S. Dionysius ait, est quidem causa ipsa, quæ sunt, ut sunt, ipse autem non est, ut qui nihil horum, quæ sunt, sed supra omnia sit. Quamvis enim Deus ens dicitur, iuxta illud, Ego sum, qui sum, at ens tamen non est, ut ea quæ sunt (quam enim eum modo episcopus, ut opera esset?) neque certo modo ens, sed simpliciter ac peculiari modo, aut velut eximie, ac præcellenter, quemadmodum ipse solus novit, & in orationem 1. apologeticam in illa verba, Cælum excessum, sic loquitur: Qui quidem (scilicet Deus) vi est apud S. Dionysium, & vi mens, & vi Deus, & vi Sapientia, & vi vita, & vi ens, & vi amabilis à tota Scripturâ celebratur. Idemque & multa nomina habet, & nomine omni caret: Et paulo inferius cuius plura enumerasset, quæ de Deo dicuntur, subdit: Hac igitur omnia dicitur, & tamen super hac omnia est: & paucis interpolitis: Deus enim, & supra mentem mens est, & supra vitam vita, & denique supra omnia.

Contra verò alij, ut ostenderent eandem inter Deum, & alia creata differentiam, ipsumque præter Deum supra omnia esse, dixerunt, Deum esse cetera verò non esse. Sic refert Augustinus lib. 8. de civitate Dei cap. 11. Platonem appellasse cetera omnia præter Deum non entia: ex quo persuasum sibi habuit Augustinus Platonem legisse illud Exodi 3. quod Dominus Moysi respondit: Ego sum qui sum. Idem quoque Plato in Sophista ostendit illud simpliciter posse dici ens, & esse quod in se omnes continet perfectiones entis, & cui nihil deest. Quæ sensu Augustinus 7. confess. cap. 11. ita ait: Inspeci cetera infra te, & vidi nec omnino esse, nec omnino non esse: esse quidem, quoniam ab te sunt, non esse autem, quoniam id quod es, non sunt, id enim vere est, quod incommutabiliter manet.

Tertius modus cognoscendi Deum, inquit S. Thomas, est, secundum rationem causæ, & effectus, cum omnia, quæ in rerum natura sunt, tanquam effectus ipsius Dei consideramus. Verum hic tertius modus, qui præsentis disputationi parum accommodatus est, alterum ex duobus modis præcedentibus includere debet. Cum enim res alias ad Deum referimus, aut negatione, aut præstantia ipsum intelligimus: ex hac igitur Patrum doctrina perspicue patet, nihil vnius commune Deo, & creaturis in nostra cognitione esse posse: quare ratio substantiæ diuinæ ad prædicamentum aliarum rerum non pertinebit. Neque hoc solum verum est, si sermo sit de intellectu viatorum, sed etiam de intellectu videntium Deum:

Sermones
modum per
excessum.

Elias.
Eius pulchra
sententia.
Nazian.

Dionysius.

16

Omnia alia
præter Deum
non esse quomodo
intelligendum.

August.
Plato.
Exod. 3.

August.

Tertius modus
secundum
rationem
causæ, & effectus.
S. Th. m.

Deducitur &
formatur
ratio.

Substantia
quomodo de
Deo dicitur.

13

S. Thom.
Triplex via
cognoscendi
Deum.

Modus primus
per negationem.
Dionysius.

14

Damasceni
prelata
verba.

tum quia eadem omnino ratione nihil commune inuenire possunt Deo, & creaturis, cum Deus supra omnem modum essentie, & substantie sit, tum etiam, quia videntes rem, sicuti est, in ea distinguere nequeunt rationem genericam ab specifica, vt disp. 18. cap. 4. videbimus.

Nomina Deo attributa non conueniunt illi proprie.

Boethius.

August.

Dionysius.

Basilus.

Hac etiam de causa nomina, quæ alias iuxta communem sententiam Theologorum de Deo proprie dicuntur, asserunt Patres nec vere, nec proprie ipsi conuenire, quod in Deo longe aliud significant, quam in rebus creatis, ex quibus desumpta sunt. Ita Boethius lib. illo de Trinitate dixit, substantiam in Deo non esse vere substantiam, & August. lib. 5. de Trinitate cap. 10. in fine, cum asseruisset, aliqua prædicamenta de Deo dici, non translatione, sed proprie, subdit: *Si tamen de illo proprie aliquid dici ore hominis potest: vt influaret in omni applicatione, qua Deum nuncupamus, quantumuis propria videatur, semper esset aliquid ad modum translationis.* Quo sensu Dionys. cap. 5. de mystica Theologia inter multa alia, quæ de Deo negat, dicit in Deo nec filij, nec patris rationem esse, & Basilus lib. 5. contra Eunomium cap. 13. ait, nec filium, nec generationem deitatis esse proprium, sed ex humana similitudine adductum; atque ex eadem nomen spiritus tractum esse putat.

*18
Cur significatum formale aliquorum attributorum in Deo proprie conueniat.*

Pro cuius rei explicatione notandum est, in omnibus nominibus, quæ Deo tribuuntur, esse nonnihil improprietatis, quod Deum, ipsiusque perfectiones non significant, vt in se sunt, sed instar rerum creaturarum, quarum similitudine cognoscuntur, per detractionem, vel præstantiam vt explicatum est. Quia vero ad Deum transferuntur, vt significant id, quod in ipso est non admixtum imperfectioni, ideo dicimus, formale significatum illorum vere, & proprie in Deo reperiri. Sic ipsum appellamus sapientem, non quod discit, neque quod eius cognitio, operatio quædam sit elicta à facultate intellectus, sed quia ipsi superiori quadam ratione res omnes sint manifestæ.

8. Thomas.

De his autè nominibus optime docuit S. Thomas infra q. 13. art. 3. improprie dici de Deo, si attendamus id, quo desumpta sunt, & modum nostræ cognitionis; si vero rem ipsam, proprie Deo conuenire. Id quod ex Cyrillo, & Ioanne Cyparisiotico ibidem ostendimus. Contra vero, quia sunt nomina aliqua, quorum proprium significatum ab imperfectione omnino separari nequit, ad Deum translata non possunt ei vilo modo proprie, sed metaphorice conuenire: quæ tamen Deo tribuuntur propter similitudinem aliquam effectus. Qualia etiam aliquando rebus inanimis tribuimus, sicut mari perturbato iram, & indignationem: auditum etiâ & sensum, propter aliquam similitudinem ex parte effectus. Cum igitur Patres citati docent nihil eorum, quæ intelliguntur, à nobis proprie Deo conuenire, ac proinde omnia nomina de ipso improprie prædicari, priori modo locutos esse, intelligendum est.

Hac ratione vsi etiam sunt S. Thom. & Caiet. in hoc articulo, Richard. & Argentina loc. cit. vt enim optime ait Richardus, omnis creatura respectu Dei dicitur ens per imitationem, non secus atque accidentia respectu substantie: ideoque citati Doctores censent, non dari quid vniuocè commune Deo, & creaturis. Cum quibus hoc ipsum docent

Caiet. in hoc articulo. & 1. q. 13. art. 5. & opuscul. de ente, & essentia cap. 2. q. 3. Ferrar. cum eodem S. Thom. 1. contra Gent. c. 32. Bassol. in 1. d. 8. q. 4. §. Propter istas.

CAPVT VII.

Respondetur argumentis prioris sententia.

Fundamenta vero prioris sententia conuelle-
re difficile non est. Ad rationem illius, quæ
vnica est, quod videlicet putet auctores illius, nul-
lum pro nostra efficacæ argumentum inueniri. Res-
pondeo, multas quidem rationes, quæ pro no-
stra sententia afferri solent, non multum habere
momenti, non tamen omnino aliquas efficaces
desse, vt superius ostensum est. Ad testimonia
vero Patrum ex dictis etiam facile responderi po-
test. Ad primum, quod est Augustini, concedimus
duo illa prædicamenta substantiæ, & relationis,
hoc est, nomina illorum prædicamentorum Deo
proprie conuenire, sed non vniuocè: quia ratione
superius notauimus, eundem Augustinum lib. 5.
de Trinit. c. 10. dixisse: *Si tamen de illo*, hoc est de
Deo, *proprie aliquid dici ore hominis potest.* De prædi-
camentis vero, quæ extrinsece tantum de Deo
enunciantur, quale est prædicamentum actionis,
in præsentem non curamus. Licet enim actio Dei
poneretur in prædicamento; tamen non propter
ea ipse Deus in prædicamento collocaretur.

Ad secundum testimonium, quod est Dama-
sceni, respondeo, vocabula filietatis, & processio-
nis, sicut reliqua omnia, vere esse à creaturis ad di-
uina translata, vt superius ex Dionysio, & alijs Pa-
tribus ostensum est, qui propterea aliquod genus
translationis in diuinis nominibus concedere vi-
dentur, quod ex rebus creatis illa omnia desump-
ta sint. Quare non video, quomodo Damascenus
dicere poterit oppositum. Id vero quod ad-
ducit ex cap. 3. ad Ephes. *Ex quo omnis paternitas, &c.*

non probat, nomina ipsa, & vocabula filij, & Pa-
tris ex diuinis ad humana fuisse deriuata: neque
aliquis Patrum locum Pauli in eum sensum inter-
pretatur. Neque vero paternitas eo loco ratione, &
dignitate Patris significat, sed familiam. Græce
enim est πατρία, quod familia, seu tribum denotat.
Sic Psalm. 21. vertit Vulgatus, familiam, Adora-
bunt, inquit, in conspectu eius vniuersa familia gentium,
& Psalm. 95. vbi Latine dicere poterat: *Afferte do-*

*mina familie gentium: reliquit nomen Græcum πα-
τριά, & dixit, Patria gentium. Hebraice vero est,
מִשְׁפָּחֹת, Misphahot, quod 70. Interpretes Græ-
ce translulerunt, πατριά, locis citatis, & Numer. 1.*

Eo igitur cap. ad Ephes. 3. ponitur nomen πατριά,
quod familiam significat, non πατριά, quod Latine
paternitas dici potest; quo vititur idem Dama-
scen. in suo textu, cum dicit: *Hoc siue oportet nomen
paternitatis, &c.*

Deinde obseruandum est, verbum, *Nominatur*,
apud Paulum eo loco non significare idem quod,
appellatur, aut *vocatur*, sed idem quod *est*. Sicut etiam,
Nomen, aliquando sumitur pro re ipsa, ad Philipp. 1.
In nomine Iesu omne genu flectitur, vt latius ostendi
2. lib. de Adoratione disp. 8. cap. 1. o. Simile est id,
quod in eadem epist. c. 1. dicitur: *Super omne nomen,
quod nominatur siue in hoc seculo, siue in futuro, hoc est
super omne id, quod celebratur.*

Sensus igitur Pauli ad Ephes. 3. est huiusmodi: *Sensus Pauli
flecto genua ad Patrem Domini nostri Iesu Chri-
sti, ex quo omnis paterna cognatio, & familia ho-
minum, atque Angelorum deriuatur, qui non so-*

*19
Prima solu-
tio.*

*Respondetur
auctoritati
Augustini.*

August.

*Ad testimo-
nium Dama-
sceni respon-
detur.*

20

Ad Ephes. 3.

*Explicatur
susc. Pauli.*

*Psal. 21.
Fsal. 95.*

Damascen.

Ad Phil. 1.

Sensus Pauli

lum

Virum in Deo sint aliqua accidentia.

AD sextum sic proceditur. Videtur quod in Deo sint aliqua accidentia. Substantia enim nulli est accidens, ut dicitur in 1. Phyl. quod ergo in vno est accidens, non potest in alio esse substantia. Sicut probatur, quod calor non sit forma substantialis ignis: quia in aliis est accidens: sed sapientia, virtus, & huiusmodi, quæ in nobis sunt accidentia, Deo attribuuntur: ergo & in Deo sunt accidentia.

2. Præterea. In quolibet genere est vnum primum, multa autem sunt genera accidentium; si igitur prima illorum generum non sunt in Deo, erunt multa prima extra Deum: quod est inconueniens.

Sed contra. Omne accidens in subiecto est. Deus autem non potest esse subiectum: quia forma simplex non potest esse subiectum, ut dicit Boet. in libro de Trinitat. ergo in Deo non potest esse accidens.

Respondeo dicendum, quod secundum præmissa manifeste apparet quod in Deo accidens esse non potest.

Primo quidem, quia subiectum comparatur ad accidens, sicut potentia ad actum: subiectum enim secundum accidens est aliquo modo in actu, esse autem in potentia omnino remouetur a Deo, ut ex prædictis patet.

Secundo, quia Deus est suum esse: ut Boeth. dicit in libro de hebdom. & licet id quod est aliquid, aliud possit habere adiunctum, tamen ipsum esse nihil aliud adiunctum habere potest: sicut quod est calidum potest habere aliquid extraneum quam calidum, ut albedinem: sed ipse calor nihil habet præter calorem.

Tertio, quia omne quod est per se, prius est eo, quod est per accidens. Vnde cum Deus sit simpliciter primum ens, in eo non potest esse aliquid per accidens. Sed nec accidentia per se in eo esse possunt, sicut insibile est per se accidens hominis: quia huiusmodi accidentia causantur ex principiis subiecti. In Deo autem nihil potest esse causatum, cum sit causa prima vnde relinquitur, quod in Deo nullum sit accidens.

Ad primum ergo dicendum, quod virtus, & sapientia non vniuocè dicuntur de Deo, & de nobis, ut infra patebit. Vnde non sequitur quod accidentia sint in Deo, sicut in nobis.

Ad secundum dicendum, quod cum substantia sit prior accidentibus, principia accidentium reducuntur in principia substantiæ sicut in priora: quamuis Deus

I 3 non

19
1. dist. 8. q. 4.
art. 3. & 1.
contra c. 23.
& 31. Et po.
17. art. 4. Et
opus 3. cap. 13
23. 57. 65 &
66. text. 27.
& 30. tom. 2.

Ante med.
lib. de Trin.

2. art. 3.

In lib. qui di-
citur, An
omne quod
est bonum sit
a meo illius

1. 2. art. 5.

lum Christi, sed etiam omnium hominum, & Angelorum Pater est: ideoque non tantum paternitas æterna, sed temporalis etiam in cœlestes atque mundanas tribus, & congregationes ipsi conuenit. Hanc interpretationem sequuntur omnes Græci Patres, Chrysost. homil. 7. Theophylact. Theodoretus, & Oecumenius in eum locum: ex Latinis vero Ambrosius hanc particulam textus non vget. Hieronymus autem in paruis commentarijs, quæ habentur 8. tom. simpliciter exponit hoc modo: *Ex quo omnis paternitas nomen accepit, siue ex quo omnes res Pater nominatur*: non quod putet per translationem ex diuinis ad humana nomen Patris deriuatum esse, sed quod omnis res, quæ Pater est, Patris secunditatem, & dignitatem, ac proinde quoque nomen ipsum a Deo habeat.

Ceterum idem Hieronymus in magnis commentarijs, quæ habentur in 6. tom. præclare hunc locum iuxta mentem Græcorum Patrum explanat, demonstrans nomen *πατριά*, significare familiam, tamen si ipse interpretetur paternitatem: & certe Vulgatus interpres propter paranomasiā, hoc est nomen similitudinem, Latine transtulit, *Paternitas*, quod Græce *πατριά*, dicitur. Sensus autem utroque modo eodem recidit, si nomine paternitatis non solum rationem, quæ generatione confurgit, sed etiam principatum in quacunque familia, & congregatione intelligamus: alioqui si paternitas ex generatione ibi solum significaretur, nulla ratione verum esse posset, omnem paternitatem, quæ in cœlis, & in terris est, ex Patre æterno provenire, aut nominari; si quidem in cœlis nulla est alia præter æternam Dei Patris: hæc autem non est ex ipso, sed potius est ipsemet Pater. Spiritum autem cœlestium est quidem principatus: nulla certe est paternitas ex generatione procedens. Sic igitur Hieronymus in illis commentarijs explicat hunc locum, ut dicat, non solum omnem familiam, & cœtum, tam Angelorum, quam hominum ex Deo Patre esse, verum etiam omnem paternitatem, quam putat esse principatum in congregatione: inquit enim: *Ita puto Angelos, ceterasque virtutes habere principes sui generis in cœlis, quos Patres gaudeant appellare*. Constat igitur, Damascenam non iuxta mentem Apostoli prædictum citasse testimonium.

Ratione quoque probatur, prædicta nomina ex diuinis ad humana non fuisse deriuata: siquidem antequam mysterium Trinitatis mundo manifestaretur iuxta cuiusque lingue idioma homines Patres appellabantur, & filij: generationis quoque nomen in humanis tanto antiquius est, quanto prius humana generatio cognita fuit, quæ diuina. Nomen etiam Spiritus, ut notauit Basilus, ex rebus creatis, nempe ex aere spirato desumptum est, & ad diuinam quodammodo translatum. Eodem modo intelligendus est Dionysius 1. c. de diuin. nomin. ubi quasi per allusionem, & accommodationem prædictam Pauli testimonium legit hoc modo, *Ex qua, scilicet diuina triade, Tria omnis, id est Trinitas, in celo est, atque nominatur*.

Ad aliud testimonium Damasceni ex primis institutionibus cap. 7. respondeo, priori sententiæ plane fauere: nisi dicamus eo loco ei non tam curæ fuisse, docere Deum esse in prædicamento, quam exempla proponere specierum, & generum: quorum exemplorum non semper requiritur veritas.

Vasquez in 1. part. Tom. 1.

Chrysost.
Theophyl.
Theodoret.
Oecumen.
Ambros.
Hieronym.

Paternitas
principatus
in iustitia.

Paternitas
nomen non
est ex diuinis,
ad humana translatum.

non sit primum contentum in genere substantiæ, sed primum extra omne genus respectu totius esse.

Explicatio, & confirmatio articuli.

Conclusio est: In Deo nulla sunt accidentia: quam tribus rationibus probat S. Thom. Quibus omisiss, quia faciliores sunt, & iis etiam, quæ Cæteranus notat, totam doctrinam articuli sententia Patrum confirmare decreui. Est autem tam philosophis, quam Theologis indubitatum, omnia, quæ in creaturis sunt accidentia, cum Deo tribuuntur, in substantiam ipsius transire. Ita docent ex Patribus Augustinus 5. lib. de Trinitate cap. 4. 5. & 16. Boethius lib. de Trinitate, cum aiunt prædicamenta accidentium, quæ ad Deum transferuntur, substantiam significare. Consentiunt Athanasius in epistola ad Episcopos Africa: Basilus in epist. 141. ad Cæsarienses, Marius victorinus lib. 1. contra Arianos, & Nicetas in orationem 40. Nazianzeni in illa verba, *Cupio dissolui, &c.* Eadem veritas definita est a Leone 1. epist. 93. ad Turibium cap. 5. & in Concilio Remensi contra Gilbertum, cuius acta inferius referemus disput. 120. cap. 2. non quod Gilbertus senserit in Deo esse accidentia, sed quod dixerit Deum non esse suam sapientiam. Cum autem in Concilio definitur Deum, hoc est, personam esse suam sapientiam, & suam deitatem, plane decernitur, nullum in Deo accidens esse.

Ex philosophis vero ductu rationis naturalis hoc ipsum cognouerunt Plato in conuitio, vbi de pulchro, quod ait esse Deum, inquit: *Semper est nec mutatione afficitur, nec ut pars pulchrum est, neque ut id, cui pulchritudo inest, sed ipse per se pulchritudo, unde manat cæterorum pulchritudo*: & Plutarchus in lib. de doctrina Principum, vbi ait: *Non asideri loci infinita, sed ipse est infinita, & lex exaltissima.*

Ratione quoque philosophica monstrari potest. Omnia vero ratione Augustini, quæ ex Dei immutabilitate, non esse in ipso accidens aliquod, quod separari possit, recte probat, hoc argumento aliqui vtuntur: sine accidens possit à Deo separari, siue non, si semel in Deo accidens esse concedimus, ipsum ex duobus compositum dicere cogimur: nequit enim esse forma aliqua veri accidentis respectu alicuius, nisi ab illo ex natura rei ante intellectum distinguatur. Deum autem compositum asserere, absurdum est, ut constat ex artic. 2. ergo quicquid in eo est, de illius substantia, & essentia est.

Verum, cum hætenus in eo artic. 2. solum probatum sit, Deum non esse essentialiter compositum, ex eo autem quod aliquis dicat, in ipso esse aliquam accidentium compositionem, non sequatur in eo essentialis compositio; opus est, alia ratione probare, accidentiarum compositionem in Deo non reperiri, quæ est huiusmodi. Cum Deus suapte natura sit summum ens perfectissimum nullius indigens, quo nihil melius excogitari, nedum esse potest, sequitur in sua essentia, & substantia omnem plenitudinem perfectionis contineri, nec alterius peregrinæ naturæ, aut formæ, qualis est accidentaria, indigere, quare non solum essentialiter, sed neque accidentarie componi potest.

Cæterum, cum sint quædam appellationes, quæ ex tempore Deo tribuuntur, ut creatoris, Domini

ni &c. non ex aliqua in ipso mutatione in tempore facta, sed per extrinsecam dominationem, & respectum ex mutatione creaturarum Deo dicuntur conuenire, id quod optime notauit Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 16. & Hieronymus in illud Amos 9. *Ece ego mando, vbi inquit: Non ergo Deus mutatur, qui semper est immutabilis, sed nos eum nostra conuersione mutamus*: ac si dicat, nulla in ipso mutatio est, sed quia nos mutamur, ipse alio modo nos respicere dicitur. Quare, ut more logicorum loquamur, quamuis in Deo non sit aliquid accidentis prædicamenti, hoc est aliqua forma intrinseca, est tamen accidens prædicabile, id est, aliquid de illo prædicatione quinti prædicabilis prædicari potest. Immo vero, si aliquid est prædicamentum, quod per extrinsecum solum respectum de substantia dicatur, aliquod etiam de Deo enuciari, ratione solius simplicitatis non repugnat.

ARTICVLVS VII.

Vtrum Deus sit omnino simplex.

Ad septimum sic proceditur. Videtur quod Deus non sit omnino simplex. Ea enim quæ sunt à Deo, imitantur ipsum: unde à primo ente sunt omnia entia & à primo bono sunt omnia bona: sed in rebus, quæ sunt à Deo, nihil est omnino simplex: ergo Deus non est omnino simplex.

2. Præterea, Omne quod est melius, Deo attribuendum est: sed apud nos composita sunt meliora simplicibus: sicut corpora mixta elementis, & animalia plantis: ergo non est dicendum quod Deus sit omnino simplex.

Sed contra est, quod August. dicit 6. de Trinitat. quod Deus vere, & summe simplex est.

Respondeo dicendum, quod Deum omnino esse simplicem multipliciter potest esse manifestum.

Primo quidem per supradicta in questione. Cum enim in Deo non sit compositio, neque quantitatarum partium: quia corpus non est: neque compositio formæ, & materiæ neque in eo sit aliud natura, & suppositum: neque aliud essentia, & esse: neque in eo sit compositio generis, & differentie: neque subiecti, & accidentis, manifestum est quod Deus nullo modo compositus est, sed omnino simplex.

Secundo, quia omne compositum est posterius suis componentibus, & dependet ex eis: Deus autem est primum ens, ut supra ostensum est.

Tertio, quia omne compositum causam habet: quæ enim secundum se diuersa sunt, non conueniunt in aliquod unum, nisi per aliquam causam adunantem ipsa, Deus autem non habet causam, ut supra

Augustin.
Boethius.

Athanas.
Basilus.
Marius.
Victor.
Nicetas.
Nazian.
Leo 1.
Concil.
Remens.

24

Plato.

Notabile
Platonis di-
ctum.
Plutarch.

In Deo cur
non possint
esse acciden-
tia.

Augustin.
Amos
Hieronym.

20
1. dist. 8. q. 4.
art. 1. Et 1.
contra c. 16.
13. & 19. Et
p. q. 7. art. 1.
Et opus 3.
c. 9. & 21. Et
causæ l. 2.

Cap. 6. & 7.
per totum
tem. 9.

Articulus
præced. huius
quæst.

q. 2. art. 3.
pra

pra ostensum est, cum sit prima causa efficiens.

Quarto, quia in omni composito oportet esse potentiam, & actum, quod in Deo non est: quia vel una partium est actus respectu alterius, vel saltem omnes partes sunt sicut in potentia respectu totius.

Quinto, quia omne compositum est aliquid, quod non convenit alicui suarum partium, & quidem in totis dissimilium partium manifestum est: nulla enim partium hominis est homo: neque aliqua partium pedis est pes. In totis vero similibus partium, licet aliquid, quod dicitur de toto, dicatur de parte, sicut pars aeris est aer, & aqua aqua: aliquid tamen dicitur de toto quod non convenit alicui partium: non enim si tota aqua est bicubita, & pars eius. Sicigitur in omni composito est aliquid quod non est ipsum, hoc autem etiam potest dici de habente formam, quod scilicet habeat aliquid quod non est ipsum: puta in albo est aliquid quod non pertinet ad rationem albi: tamen in ipsa forma nihil est alienum; unde cum Deus sit ipsa forma, vel potius ipsum esse, nullo modo compositus esse potest. Et hanc rationem tangit Hilar. 7. de Trinit. dicens: Deus qui virtus est ex infirmis non continetur; neque qui lux est, ex obfuscis coaptatur.

Ad primum dicendum, quod ea, quæ sunt à Deo, imitantur Deum sicut calata primam causam. Est autem hoc de ratione causati, quod si aliquo modo compositum: quia ad minus esse eius est aliud, quam quod quid est, ut infra parebit.

Ad secundum dicendum, quod apud nos composita sunt meliora simplicibus: quia perfectio bonitatis creaturæ non invenitur in uno simplici, sed in multis: sed perfectio diuinæ bonitatis invenitur in uno simplici, ut infra ostenderetur.

Confirmatio doctrine articuli.

Conclusio est: Deus est omnino simplex: quæ non solum ad dogma fidei pertinet, sed etiam ratione philosophica evidenti constat. Primum de notis fuit in Concilio Remensi, ut superiori articulo notavimus. Nam quantumvis Gilbertus expresse non dixerit, Deum esse compositum, ex eius tamen sententia sequebatur. An vero idem inferri possit ex eorum opinione, qui dicunt attributa divina differre ex natura rei inter se, & ab essentia, videbimus disp. 116. Oppositum autem errorem, qui Deo compositionem tribuit, adscribit Petro Abailardo Præcolus in suo Elencho hæresium, quem tamen errorem Bernardus epist. 188. & 190. & 191. inter alios errores Abailardi non refert. Deinde eadem veritas definita fuit in Concilio Lateranense sub Innocentio 3. & refertur in c. Firmiter de summa Trinitate, & fide Cathol. Rationis, in 1. partem Tomus I.

tionem quoque naturali à nobis probata est disp. 21. cap. 3. Porro de simplicitate Dei eleganter disputant Hilarius 8. de Trinitate, August. lib. 11. de ciuit. cap. 10. & libro 15. cap. 17, Hieronymus lib. 1. de summo bono cap. 1. Boethius lib. de Trinit. cap. 3. Bernard. lib. 5. de consideratione, Aristot. quoque 12. met. cap. 7. primam substantiam, hoc est, Deum simplicem esse, & indiuisibilem pronunciat.

ARTICVLVS VIII.

Primum Deus in compositionem aliorum veniat.

Ad octauum sic proceditur. Videtur quod Deus in compositionem aliorum veniat. Dicit enim Dionysius 4. c. cæl. Hierarch. Esse omnium est, quæ super esse est, Deitas: sed esse omnium intrat compositionem vniuersi: ergo Deus in compositionem aliorum venit.

2. Præterea, Deus est forma, dicit enim Augustinus in libro de verb. Domini, quod verbum Dei, quod est Deus, est forma quædam non formata: sed forma est pars compositi: ergo Deus est pars alicuius compositi.

3. Præterea, Quæcumque sunt, & nullo modo differunt, sunt idem: sed Deus & materia prima sunt, & nullo modo differunt: ergo penitus sunt idem. Sed materia prima intrat compositionem rerum: ergo & Deus. Probatio media, Quæcumque differunt, aliquibus differentiis differunt, & ita oportet ea esse composita: sed Deus, & materia prima sunt omnino simplicia: ergo nullo modo differunt.

Sed contra est, quod dicit Dionys. 2. c. de diu. nom. quod neque tactus est eius, scilicet Dei: neque alia quædam ad partes commiscendas communio.

2. Præterea, dicitur in libro de causis, quod causa prima regit omnes res, præterquam commisceatur eis.

Respondetur dicendum, quod circa hoc fuerunt tres errores. Quidam enim posuerunt, quod Deus esset anima mundi, ut patet, per Augustin. in libro 7. de ciuit. Dei: & ad hoc etiam reducitur, quod quidam dixerunt, Deum esse animam primi cæli. Alij autem dixerunt, Deum esse principium formale omnium rerum: & hæc dicitur fuisse opinio Almarianorum. Sed tertius error fuit Dauid de Dinando, qui stultissime posuit Deum esse materiam primam. Omnia enim hæc manifestam continent falsitatem: neque est possibile Deum aliquo modo in compositione alicuius venire: nec sicut principium formale, nec sicut principium materiale.

q. 2. art. 3.

Primo quidem, quia supra diximus Deum esse primam causam efficientem. Causa autem efficiens cum forma rei facta non incidit in idem numero, sed solum in idem specie: homo enim generat hominem. Materia vero cum causa efficienti non incidit in idem numero, nec in idem specie: quia hoc est in potentia, illud vero in actu.

Secundo, quia cum Deus sit prima causa efficiens, eius est primo, & per se agere: quod autem venit in compositionem alicuius, non est primo, & per se agens, sed magis compositum, non enim manus agit, sed homo per manum, & ignis calefacit per calorem: unde Deus non potest esse pars alicuius compositi.

q. 3. art. 2.

Tertio, quia nulla pars compositi potest esse simpliciter prima in entibus, neque etiam materia, & forma, quæ sunt primæ partes compositorum: nam materia est in potentia: potentia autem est posterior actu simpliciter, ut ex dictis patet, forma autem quæ est pars compositi, est forma participata: sicut autem participans est posterius eo, quod est per essentiam, ita & ipsum participatum: sicut ignis in ignitis est posterior eo quod est per essentiam. Ostensum est autem, quod Deus est primum ens simpliciter.

q. 2. art. 3.

Ad primum ergo dicendum, quod Deitas dicitur esse omnium effectiue, & exemplariter, non autem per essentiam.

Ad secundum dicendum, quod Verbum est forma exemplaris, non autem forma, quæ est pars compositi.

Ad tertium dicendum, quod simplicia non differunt aliquibus aliis differentiis, hoc enim compositorum est: homo enim, & equus differunt rationali, & irrationali differentiis, quæ quidem differentiæ non differunt amplius ab invicem aliis differentiis: unde si fiat vis in verbo, non proprie dicuntur differre, sed diuersa esse. Unde secundum Philosophum 10. Metaph. diuersum absolute dicitur: sed omne differens aliquo differt: unde si fiat vis in verbo, materia prima, & Deus non differunt, sed sunt diuersa seipsum: unde non sequitur quod sint idem.

Text. 24. p. 25. tom. 3.

Confirmatio articuli.

27

CONCLUSIO est: Deus non potest cum alio in compositionem alicuius conuenire. Conclusio huius articuli non minus in philosophia, & Theologia certa est, quam præcedentis: fuerunt tamen non pauci, qui oppositum ausi sunt affirmare. Primum ex philosophis teste Eusebio lib. 14. de præparatione euangelica c. 6. Democritus docuit, Deum esse animam mundi, ac propterea ipsum igneæ pilæ formam habere. Huius tamen errorem longe aliter refert Cicero lib. 1. de natura Deorum, in

Qui dixerunt Deum in compositionem non venire.

hanc vero sententiam Stoicos commemorat Epiphanius lib. 1. hæresi 5. quam Damascenus in suo lib. de hæresibus non omnibus, sed quibusdam Stoicorum adscribit, eamque secutum fuisse Pythagoram censet Ludouicus Viues in c. 17. lib. 4. de ciuit. Dei. Ex Christianis autem omnium primi Priscillianistæ in hoc errore fuisse videntur, cum assererent animam hominis diuinam esse substantiam, vel partem illius, ut constat ex Concilio Tolentano. 1. in confessione fidei, & Leone pp. 1. in epistola ad Turibium 93. cap. 5. Clarius tamen Petrus Abailardus teste Bernardo in epistola 190. cum docuit Spiritum sanctum esse animam mundi: quam sententiam ex Platone didicisse tradit Bernardus. Demum inter errores cuiusdam Almerici, qui fuit tempore Innocentij 3. Turrecremata lib. 4. summæ c. 35. hunc errorem enumerat: dicebat enim omnia esse vnum, & eiusdem naturæ, imo omnia esse Deum, & Deum ipsum essentiam esse omnium rerum: quem hæreticum vnico verbo damnat Innocentius c. damnatus, de summa Trinitate, & fide Catholice ex Scriptura quoque aperte demonstratur, non posse Deum esse animam totius mundi: nam Iob. 22. dicitur: Excelsior celo est, &c. 2. Paralip. 2. cap. 6. & cali celorum eam capere non possunt. Si autem Deus esset anima mundi, esset profecto intra ipsum conclusus, & definitus, ut extra ipsum nullo modo esse posset, quod est absurdum, ut inferius probabitur disp. 29. cap. 4. Id ipsum optime ostendit Augustinus c. citato, & sequenti.

Porro Deum non posse conuenire in compositionem alicuius, hac ratione potest ostendi. Omne id, ex quo aliquid componitur imperfectius est ipso composito: atqui Deus est rerum omnium perfectissimus: ergo ex ipso nulla res alia componi potest. Qui vero oppositum docuerunt, eo videntur decepti, quod vniuersum hoc conspicerent, ita à Deo efficiente, & seruante pendere, ut sine illo non minus esse non posset, quam animalia sine anima viuere. Ob id tamen non deberent affirmare, Deum ipsum, aut mundi, aut aliarum rerum animam esse.

De philosophis quidem antiquis non satis perspectum habeo, an dixerint Deum vere esse animam mundi, tanquam formam, & naturam illius, vel solum per modum efficientis, & conseruantis, eo modo quo nonnulli arbitrantur Aristotelem appellasse intelligentiam motricem celi, animam eius assistentem. De hæreticis vero Priscillianistis dubium non est, docuisse animam nostram informantem, quandam Dei portionem esse. In quem sensum eorum damnant errorem Concilium Tolentanum primum, & Leo primus, & tandem Leo concludit, nullam tam præcipuam esse facturam, cui Deus ipse natura sit, hoc est, forma: nomine enim naturæ formam appellat, sicut Arist. 2. Phyl. c. 1. & clarius 5. Meta. c. 4. ubi circa finem ait, primam, & quæ proprie dicitur natura, esse substantiam, hoc est, formam eorum, quæ in seipsis, ut ipsa sunt, motus principium habent: materiam vero metaphoricè, & quod huius sit susceptiua, naturam dici, de Abailardo etiam, & Almerico dubium non est, de anima informantē fuisse locutos.

QVÆSTIO IV.

De perfectione Dei.

Post considerationem diuinæ simplicitatis, de perfectione ipsius Dei dicendum

Ensebius.
Democritus.
Cicero.
Epiphanius.
Stoici.
Pythagoras.
Ludou. Viues.
Priscillian.
Stoicorum error.
Priscillian.
Concil. Tolent.
Leo pp. 1.
Abailardus.
Bernardus.
Petrius Abailardus.
Almericius in eandem errorem incidit.
Almerici.
Turrecr.
Innocent. 3.
Conuincitur talis error.
Iob. 22.
2. Paral. 2.
28

Augustinus.

Priscillianus.

Concil. Tolent.
Leo. 1.

Aristot.

29

dum est. Et quia vnumquodque secundum quod perfectum est, sic dicitur bonum: primo agendum est de perfectione diuina. Secundo de eius bonitate.

Notatio circatotam questionem.

Quemadmodum in iis questionibus elucidandis, quæ difficiliore sunt, & aliquid habent animaduersione dignum, nec tempori, nec labori parcendum est, sic etiam in facilioribus longam texere tractationem, reprehensione dignum iudicari debet. Ideo in totam hanc quæstionem quæ facillima est, vnum tantum adnotare libet, quod ex doctrina præcedenti, & ex iis, quæ dicemus in quæst. 13. manifeste colligitur: nempe in Deo quædam esse perfectiones eminenter solum, & virtute, quædam vero formaliter, & proprie, vel potius naturam Dei simplicissimam virtute quædam perfectiones continere, alias vero ipsi formaliter conuenire. Illas quidem dicitur virtute continere, quæ in suo intrinseco, & essentiali conceptu quantumvis abstracto imperfectionem aliquam includunt: quales sunt rerum corporearum. Dicitur autem eas eminenter continere, quia in se virtutem habet eminentem ad eas producendas. Quare perfectio lapidis, quæ in Deo est eminenter, in ipso Deo vitam habet, in lapide autem sine vita est. De hoc modo quo res in Deo dicuntur esse, multa dicemus disp. 51. c. 3. & disp. 70. c. 2. Ille autem perfectiones, quæ intelligi possunt ab omni imperfectione purgatæ in Deo formaliter, & proprie dicuntur esse, non quidem distinctæ ex natura rei, vt disp. 116. dicemus, sed in vna simplicissima essentia absque distinctione coniunctæ. Cetera, quæ Caietanus, & recentiores in hanc questionem tractant facilia sunt, & ad ea, quæ deinceps dicenda sunt minime necessaria. In artic. 3. in sol. 4. notandum erat, quare creaturæ dicantur Deo assimilari, Deus autem non creaturis, de hoc tamen differemus d. 167. c. vlt.

ARTICVLVS I.

Vtrum Deus sit perfectus.

AD primum sic proceditur. Videtur quod esse perfectum non conueniat Deo. Perfectum enim dicitur, quasi totaliter factum: sed Deo non conuenit esse factum: ergo nec esse perfectum.

2. Præterea, Deus est primum rerum principium, sed principia rerum videntur esse imperfecta. Semen enim est principium animalium, & plantarum: ergo Deus est imperfectus.

3. Præterea, Ostensum est supra, quod essentia Dei est ipsum esse, sed ipsum esse videtur esse imperfectissimum, cum sit communissimum, & recipiens omnium additiones: Ergo Deus est imperfectus.

Sed contra est, quod dicitur Matth. 5. estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.

Respondetur dicendum, quod sicut Philosophus narrat in 12. Met. quidam anti-

qui Philosophi, scilicet Pythagorici, & Leucippus, non attribuerunt optimum, & perfectissimum primo principio. Cuius ratio est, quia philosophi antiqui considerauerunt principium materiale tantum: primum autem principium materiale imperfectissimum est. Cum enim materia in quantum huiusmodi sit in potentia: oportet quod primum principium materiale sit maxime in potentia, & ita maxime imperfectum. Deus autem ponitur primum principium non materiale, sed in genere causæ efficientis: & hoc oportet esse perfectissimum. Sicut enim materia, in quantum huiusmodi, est in potentia, ita agens in quantum huiusmodi est in actu: unde primum principium actuum oportet maxime esse in actu: & per consequens maxime esse perfectum: secundum hoc enim dicitur aliquid esse perfectum, secundum quod est actu: nam perfectum dicitur, cui nihil deest secundum modum suæ perfectionis.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicit Gregor. balbutiendo, vt possumus, excelsa Dei resonamus: quod enim factum non est, perfectum proprie dici non potest. Sed quia in his, quæ sunt, tunc dicitur esse aliquid perfectum, cum de potentia educitur in actu, transsumitur hoc nomen perfectum ad significandum omne illud cui non deest esse in actu, siue hoc habeat per modum perfectionis, siue non.

Ad secundum dicendum, quod principium materiale, quod apud nos imperfectum inuenitur, non potest esse simpliciter primum, sed præceditur ab alio perfecto. Nam semen, licet sit principium animalis generati ex semine, tamen habet ante se animal, vel plantam, unde deciditur. Oportet enim ante id, quod est in potentia esse aliquid actu, cum ens in potentia, non reducat in id actu, nisi per aliquid ens in actu.

Ad tertium dicendum, quod ipsum esse est perfectissimum omnium: comparatur enim ad omnia, vt actus: nihil enim habet actualitatem, nisi in quantum est: unde ipsum esse est actualitas omnium rerum, & etiam ipsarum formarum: unde non comparatur ad alia sicut recipiens ad receptum, sed magis sicut receptum ad recipiens: cum enim dico esse hominis, vel equi, vel cuiuscunque alterius, ipsum esse consideratur, vt formale, & receptum, non autem vt illud, cui competit esse.

A R-

*Lib. 12. met.
text. 40. 10 34*

*Perfectissimum
alio formaliter
et alio eminenter
conuenit in
Deo.*

30

22

*1. contr. 4. c. 8.
Et contr. 9. 2.
art. 3. 13. Et
Dm. 2. c. 13.
h. 1.*

*in præced.
art. 4.*

Verum in Deo sint perfectiones omnium rerum.

23
4. dist. 2. a. 2.
q. 3. Et 1.
concl. c. 28. q.
31. Et 1. b. 2.
c. 2. Et opus.
3. c. 2. 23.
q. 33.
q. 1. a. 7.

AD secundum sic proceditur. Videtur quod in Deo non sint perfectiones omnium rerum: Deus enim simplex est, ut ostensum est: sed perfectiones rerum sunt multe & diuersæ: ergo in Deo non sunt omnes perfectiones rerum.

2. Præterea, Opposita non possunt esse in eodem: sed perfectiones rerum sunt oppositæ: vnaquæque enim species perficitur per suam differentiam specificam: differentia autem, quibus diuiditur genus, & constituuntur species, sunt oppositæ: cum ergo opposita non possint simul esse in eodem, videtur quod non omnes rerum perfectiones sint in Deo.

3. Præterea, Viuens est perfectius quam ens, & sapiens quam viuens: Ergo & viuere est perfectius quam esse, & sapere, quam viuere: sed essentia Dei est ipsum esse: ergo non habet in se perfectionem vitæ, & sapientiæ, & alias huiusmodi perfectiones.

Cap. 5 paulo
ante medium
c. 2. p. 2. in
p. dicitur.

Sed contra est, quod dicit Dionysius 5. capite de diu. nomin. quod Deus in vna existentia omnia præhabet.

Lib. 5. text.
21.

Respondeo dicendum, quod in Deo sunt perfectiones omnium rerum. Vnde & dicitur vniuersaliter perfectus: quia non deest ei aliqua nobilitas, quæ inueniatur in aliquo genere, ut dicit Commen. in 5. Meta. Et hoc quidem ex duobus considerari potest.

Primo quidem per hoc, quod quicquid perfectionis est in effectu, oportet inueniri in causa effectiua: vel secundum eandem rationem, si sit agens vniuersum, ut homo generat hominem: vel eminentiori modo, si sit agens æquiuocum: sicut in Sole est similitudo eorum, quæ generantur per virtutem Solis. Manifestum est enim quod effectus præexistit virtute in causa agente: præexistere autem in virtute causæ agentis non est præexistere imperfectiori modo, sed perfectiori, licet præexistere in potentia causæ materialis sit præexistere imperfectiori modo: eo quod materia in quantum huiusmodi est imperfecta, agens vero in quantum huiusmodi est perfectum. Cum ergo Deus sit prima causa effectiua rerum, oportet omnium rerum perfectiones præexistere in Deo secundum eminentiorem modum.

Cap. 5. à me-
dio.

Et hanc rationem tangit Dionysius 5. cap. de diu. nomin. dicens de Deo, quod non quidem hoc est, hoc autem non est, sed omnia est, ut omnium causa.

Secundo vero ex hoc, quod supra ostensum est, quod Deus est ipsum esse per se subsistens: ex quo oportet, quod totam perfectionem essendi in se contineat. Manifestum est enim quod si aliquid calidum non habet totam perfectionem caliditatis, hoc ideo est, quia calor non participatur secundum perfectam rationem: sed si calor esset per se subsistens, non posset ei aliquid deesse de virtute caloris: vnde, cum Deus sit ipsum esse subsistens, nihil de perfectione essendi potest ei deesse. Omnium autem perfectiones pertinent ad perfectionem essendi: secundum hoc enim aliqua perfecta sunt, quod aliquo modo esse habent: vnde sequitur quod nullius rei perfectio Deo deest. Et hanc etiam rationem tangit Dionysius 5. cap. de diu. nomin. dicens: Quod Deus non quodam modo est existens, sed simpliciter, & incircumscripse totum in seipso vniormiter esse præcipit: & postea subdit, quod ipse est esse subsistentibus.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut Sol, ut dicit Dionysius 5. c. de diu. nomin. sensibilibus substantiis, & qualitates multas, & differentes ipse vnus existens, & vniormiter lucendo in seipso vniormiter præcipit: ita multo magis in causa omnium necesse est præexistere omnia secundum naturalem vniorem: & sic quæ sunt diuersa, & opposita in seipsis, in Deo præexistunt, ut vnum absque detrimento simplicitatis ipsius. Et per hoc patet solutio ad secundum.

Cap. 5. non
remote à
principio.

Ad tertium dicendum, quod sicut in eodem cap. idem Dionysius dicit, licet ipsum esse sit perfectius, quam vita: & ipsa vita, quam ipsa sapientia, si considerentur secundum quod distinguuntur ratione: tamen viuens est perfectius, quam ens tantum: quia viuens etiam est ens, & sapiens est ens, & viuens. Licet igitur ens non includat in se viuens, & sapiens: quia non oportet quod illud quod participat esse, participet ipsum secundum omnem modum essendi, tamen ipsum esse Dei includit in se vitam, & sapientiam: quia nulla de perfectionibus essendi potest deesse ei, quod est ipsam esse subsistens.

Cap. 5. non
remo e à
principio.

ARTICVLVS III.

Verum aliqua creatura possit esse similis Deo.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod nulla creatura possit esse similis Deo. Dicitur enim in Psalm. Non est similis tui in diis Domine; sed inter omnes creaturas excellentiores sunt, quæ dicuntur dii participatiue: multo ergo minus alia creatura possunt dici Deo similes.

24
2. dist. 3. q. 1.
a. 1. Et 1. con-
tra c. 29. Et
ver. q. 2. art.
12. Et p. q. 7.
artic. 7.

2. Præ-

2. Præterea, Similitudo est comparatio quædam: non est autem comparatio eorum, quæ sunt diuersorum generum: ergo nec similitudo: Non enim dicimus, quod dulcedo sit similis albedini: sed nulla creatura est eiusdem generis cum Deo, cum Deus non sit in genere, ut supra ostensum est: ergo nulla creatura est similis Deo.

3. Præterea, Similia dicuntur, quæ conueniunt in forma: sed nihil conuenit cum Deo in forma: nullus enim essentia rei est ipsum esse, nisi solius Dei: ergo nulla creatura potest esse similis Deo.

4. Præterea, In similibus est mutua similitudo; nam simile est simili simile. Si igitur aliqua creatura est similis Deo, & Deus erit similis alicui creaturæ: quod est contra id, quod dicitur Isaia 40. Cui similem fecisti Deum?

Sed contra est quod dicitur Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram, & primæ Ioann. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus.

Respondeo dicendum, quod cum similitudo attendatur secundum conuenientiam, vel communicationem in forma: multiplex est similitudo secundum multos modos comunicandi in forma. Quædam enim dicuntur similia, quæ communicant in eadem forma secundum eandem rationem, & secundum eundem modum: & hæc non solum dicuntur similia, sed æqualia in sua similitudine, sicut duo æqualiter alba dicuntur similia in albedine, & hæc est perfectissima similitudo. Alio modo dicuntur similia, quæ communicant in forma secundum eandem rationem, & non secundum eundem modum, sed secundum magis, & minus: ut minus album dicitur simile magis albo: & hæc est similitudo imperfecta. Tertio modo dicuntur aliqua similia, quæ communicant in eadem forma, sed non secundum eandem rationem, ut patet in agentibus non uniuocis. Cum enim omne agens agat sibi simile in quantum est agens, agit autem vnumquodque secundum suam formam, necesse est quod in effectu sit similitudo formæ agentis. Si ergo agens sit contentum in eadem specie cum suo effectu, erit similitudo inter faciens, & factum in forma, secundum eandem rationem speciei, sicut homo generat hominem: si autem agens non sit contentum in eadem specie, erit similitudo, sed non secundum eandem rationem speciei: sicut ea, quæ generantur ex virtute Solis, accedunt quidem ad aliquam similitudinem Solis: non tamen ut recipiant for-

mam Solis secundum similitudinem speciei, sed secundum similitudinem generis. Si igitur sit aliquod agens, quod non in genere contineatur, effectus eius adhuc magis accedent remotè ad similitudinem formæ agentis, non tamē ita quod participant similitudinem formæ agentis secundum eandem rationem speciei, aut generis, sed secundum aliqualem analogiam, sicut ipsum esse est commune omnibus. Et hoc modo illa, quæ sunt à Deo, assimilantur ei in quantum sunt entia, ut primo vniuersali principio totius esse.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut dicit Dionys. 9. cap. diui. nom. cum sacra Scriptura dicit aliquid non esse simile Deo, non est contrarium assimilationi ad ipsum. Eadem enim sunt similia Deo, & dissimilia: similia quidem secundum quod imitantur ipsum, prout contingit cum imitari, qui non perfecte imitabilis est. Dissimilia vero, secundum quod deficiunt à sua causa, non solum secundum suam intensiōem, & remissionem, sicut minus album deficit à magis albo, sed quia non est conuenientia nec secundum speciem nec secundum genus.

Ad secundum dicendum, quod Deus non se habet ad creaturas sicut res diuersorum generum, sed sicut id, quod est extra omne genus, & principium omnium generum.

Ad tertium dicendum, quod non dicitur esse similitudo creaturæ ad Deum propter communicantiam in forma, secundum eandem rationem generis, & speciei, sed secundum analogiam tantum: prout scilicet Deus est ens per essentiam, & alia per participationem.

Ad quartum dicendum, quod licet aliquo modo concedatur, quod creatura sit similis Deo, nullo tamen modo concedendum est, quod Deus sit similis creaturæ: quia, ut dicit Dionys. 9. cap. de diui. nom. In his, quæ vnius ordinis sunt, recipitur mutua similitudo, non autem in causa & causato. Dicimus enim quod imago sit similis homini, & non è conuerso: & similiter dici potest aliquo modo, quod creatura sit similis Deo: non tamen quod Deus sit similis creaturæ.

QVÆSTIO V.

De bono in communi.

Deinde quæritur de bono. Et primo, de bono in communi. Secundo, de bonitate Dei.

In hac questione disputat S. Thomas de bono in vniuersam, cuius quidem disputatio ad philosophum proprie spectabat, ut in sequenti probet

Cap. 9. a medio.

Cap. 9. a medio.

bet id, quod ad Theologū pertinet, scilicet Deum esse bonum. Quoniam vero ex iis, quæ dicemus, patebit, non parum aliquem errare posse in assignanda ratione bonitatis in Deo, si eam in vniuersum ignorauerit, idcirco ea, quæ ad hanc Theologicam veritatem cōducere videbuntur, quamuis philosophica sint, in quæstionem reuocare necessarium duximus.

ARTICVLVS I.

Vtrum bonum differat secundum rem ab ente.

25
1. dist. 8 q. 1.
art. 3. Et vniuersum q. 21.
art. 1. c. 8.
art. 8.
In lib. An omne quod est bonum sit circa modum illius.

AD primum sic proceditur. Videtur quod bonum differat secundum rem ab ente. Dicit enim Boetius in libro de hebdoma. Intueor in rebus aliud esse quod sunt bona, & aliud esse quod sunt: Ergo bonum, & ens differunt secundum rem.

2. Præterea, Nihil informatur seipso: sed bonum dicitur per informationem entis, ut habetur in comment. lib. de causis: Ergo bonum differt secundum rem ab ente.

3. Præterea, Bonum suscipit magis & minus: esse autem non suscipit magis, & minus: Ergo bonum differt secundum rem ab ente.

3. Præterea, Bonum suscipit magis & minus: esse autem non suscipit magis, & minus: Ergo bonum differt secundum rem ab ente.

4. Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de doctrina Christi. quod in quantum sumus; boni sumus.

Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de doctrina Christi. quod in quantum sumus; boni sumus.

Respondeo dicendum, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum: quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile: unde Philosophus in 1. Ethicorum dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt: manifestum est autem, quod vnumquodque est appetibile secundum quod est perfectum: nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum est autem perfectum vnumquodque, in quantum est actu: unde manifestum est, quod in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Unde manifestum est, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem: sed bonum dicitur rationem appetibilis, quam non dicit ens.

Respondeo dicendum, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem, sed differunt secundum rationem tantum: quod sic patet. Ratio enim boni in hoc consistit, quod aliquid sit appetibile: unde Philosophus in 1. Ethicorum dicit, quod bonum est, quod omnia appetunt: manifestum est autem, quod vnumquodque est appetibile secundum quod est perfectum: nam omnia appetunt suam perfectionem. In tantum est autem perfectum vnumquodque, in quantum est actu: unde manifestum est, quod in tantum est aliquid bonum, in quantum est ens: esse enim est actualitas omnis rei, ut ex superioribus patet. Unde manifestum est, quod bonum, & ens sunt idem secundum rem: sed bonum dicitur rationem appetibilis, quam non dicit ens.

Ad primum ergo dicendum, quod licet bonum, & ens sint idem secundum rem: quia tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicitur aliquid ens simpliciter, & bonum simpliciter. Nam cum ens dicatur aliquid proprie esse in actu: actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam: secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod est primo discernitur ab eo, quod in potentia tantum: hoc autem est esse substantia-

Ad primum ergo dicendum, quod licet bonum, & ens sint idem secundum rem: quia tamen differunt secundum rationem, non eodem modo dicitur aliquid ens simpliciter, & bonum simpliciter. Nam cum ens dicatur aliquid proprie esse in actu: actus autem proprie ordinem habeat ad potentiam: secundum hoc simpliciter aliquid dicitur ens, secundum quod est primo discernitur ab eo, quod in potentia tantum: hoc autem est esse substantia-

ARTIC. I.

le rei vniuersiusque: unde per suum esse substantiale dicitur vnumquodque ens simpliciter: per actus autem superadditos dicitur aliquid esse secundum quid: sicut esse album significat esse secundum quid. Non enim esse album aufert esse in potentia simpliciter, cum adueniat rei iam præexistenti in actu. Sed bonum dicitur rationem perfecti, quod est appetibile, & per consequens dicitur rationem ultimi. Unde id quod est ultimo perfectum, dicitur bonum simpliciter: Quod autem non habet ultimam perfectionem, quam debet habere, quamuis habeat aliquam perfectionem in quantum est actu, non tamen dicitur perfectum simpliciter, nec bonum simpliciter, sed secundum quid. Sic ergo secundum primum esse, quod est substantiale, dicitur aliquid ens simpliciter, & bonum secundum quid, id est, in quantum est ens: secundum vero ultimum actum dicitur aliquid ens secundum quid, & bonum simpliciter. Sic ergo quod dicit Boetius quod in rebus aliud est quod sunt bona, & aliud quod sunt, referendum est ad esse bonum simpliciter, & ad esse simpliciter: quia secundum primum actum est aliquid ens simpliciter: & secundum ultimum bonum simpliciter, & tamen secundum primum actum est quodammodo bonum, & secundum ultimum actum est quodammodo ens.

Titulus huius in libro est, An omne quod est bonum, sit circa modum illius.

Ad secundum dicendum, quod bonum dicitur per informationem prout accipitur bonum simpliciter secundum ultimum actum.

Et similiter dicendum ad tertium, quod bonum dicitur secundum magis, & minus secundum actum superuenientem, puta secundum scientiam, vel virtutem.

Conclusio est, Bonum, & ens sunt idem secundum rem, sed bonum includit rationem appetibilis, quam non habet ens. Quia conclusione S. Doctor manifeste indicat, hæc duo sola ratione distingui.

DISPUTATIO XXIII.

Quæ sit formalis ratio boni vniuersim, & quo pacto Deo conueniat.

Sententia Durandi, cap. 1.
Refutatio præcedentis sententia, cap. 2.
Dua alia sententia de eadem re, cap. 3.
Prior pars verioris sententia, cap. 4.
Posterior pars verioris sententia, cap. 5.
Quedam oppositiones contra prædict. cap. 6.
Corollaria præcedentis doctrina, cap. 7.

CAPVT I.

Sententia Durandi.

CVM in hoc art. vera ratio, & definitio bonitatis nobis tradatur, ex qua colligere debemus Deum esse bonum, entendum nobis est, ita